



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Maximo tyranno, & Gratiano dolo interempto, qua[n]do & Iustina  
Valentiniani pueri adhuc mater, insidias in Ambrosium Mediolanensem  
Episcopu[m] tendere propter Maximi metum, inuita destiterit. Cap. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

*De Maximo tyranno, & Gratiano dolo interempto, quādo & Iustina Valentiniāni pueri adhuc mater, insidias in Ambrosium Mediolanensem Episcopū tendere propter Maximi metum, inuita destiterit.*

## C A P. X I.

**E**isdem temporibus, quibus concilium Cōstantinopoli habitum fuit, has res in partibus versus occidentē confectas accepimus. Maximus ex partibus Britanniae oriundus, arma contra Imperium Romanum ferre, & Gratiano in bello contra Germanos valde debilitato, insidias tendere parat. In Italia autem, quia Valentianus admodum erat adolescens, Probus, vir consularis summam praefecturam gerens, Reip. curam suscepit. Iustina Imperatoris Valentiniāni mater, Arianæ prauitatis labe infecta, etsi, dum vir eius vixit, eos, qui fidei Consubstantialis dediti erant, nullo incommodo poterat afficere, tamen cum filius eius esset adhuc aetate tenera, Mediolanum proficiscens, grauissimos tumultus contra Ambrosium Episcopum concitauit, eūque in exilium mitti iussit. Vbi autem populus propter incredibilem amorē, quo Ambrosium amplectebatur, restitit, eorumque retardauit conatum, qui illum in exilium abripere laborabant, interea nunciatum est Gratianum dolo & insidiis Tyranni Maximi interfectum. Nam in Rheda, quae lecticae speciem praese ferebat: quaeque à mulis gestabatur, Andragathius Maximi dux occultatus, praecipit vti satellitibus Imperatoriis denunciaretur, Imperatoris Gratiani conjugem in ea vectam esse, Imperatoriūque fluuium Rhodanū, qui Lugdunum urbem Galliae praeterfluit, trajicienti obviam procedere. Imperator itaque conjugem esse ratus, insidias haudquaquam euitauit, sed in hostis manus, tanquam caecus in fossam, imprudens incidit. Nam Andragathius e Rheda desiliens, Gratianum interfecit. Moritur igitur Merogando & Saturnino Coss. cum annos regnasset quindecim, vixisset autem vigintiquatuor. Quod factum, iram matris Imperatoris contra Ambrosium inflammata restinxit. Quare Valentianus temporis necessitati inserviens, Maximum animo perinuito ad imperij societatem admittit. Probus verò Maximi potentiam veritus, ad partes versus orientem

tem

tem tum proficisci constituit. Absque mora igitur decedit ex Italia : atque in Illyriam contendens, Thessalonica, que est in Macedonia, commoratus est.

*Quod Imperator Theodosius conscriptis maximis contra Maximum copiis, eodem tempore quo natus est illi ex Placilla Honorius, Archadium Constantino- poli reliquit, ipse Mediolani cum tyranno confligit.*

## C A P. XII.

**T**heodosius Imperator ob hanc causam in magnam sollicitudinem coniectus, quam maximas copias contra tyrannum conficit, admodum veritus, ne eadem etiam Valentiniano iuniori moliretur. Eodem momento legati Persarum aduentant, pacem ab Imperatore petituri. Etiam tum filius Honorius Imperatori ex Placilla coniuge natus est, Rhycomeliano & Clearcho Coss. quinto Id. Septembris. Eisdem quoque Coss. Agelius Nouatianorum Episcopus, paulo ante natum Honorium à vita migrauerat. Anno sequenti, ad primum consulatum Arcadij Augusti, & Vadonis, cum Tomitheus Episcopus Alexandriae extremum diem obierat, Theophylus eum capessit Episcopatum. Anno post, ubi Demophilus sectae Arianæ Episcopus supremum vitæ diem confecerat, Ariani Marino suæ ipsorum sectae Episcopo ex Thracia accersito, Episcopatum eius impatiunt. Marinus autem, cuius temporibus secta Ariana sicut à me dicitur postea, diuisa erat, non diu vitam propagauit. Dorotheum igitur ex Antiochia Syriæ accitum, suum episcopum designant. Imperator ad bellum contra Maximum gerendum ire pergit, Arcadio filio suo Constantinopoli Imperatore relicto. Qui ubi Thessalonicam venit, offendit milites Valentiani ægritudine fractos, quod necessitate inducti, tyrannum Imperatoris loco admisissent. Theodosius autem se neque in hanc, neque in illam partem propendere propalam declarauit. Nam legatos Maximi ad se missos, neque rececit, neque admisit: & tamen Imperium Romanum nominis Imperatorij simulatione, tyrannide oppressum iri, videre iniquo animo tulit. Proinde collecta militum manu, Mediolanum proficisci maturat. Nam illo aduentarat Maximus.